



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. De Objecto Scientiæ Divinæ increato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

bitus: Nam voluntas summum bonum amat cum facilitate sine habitu, itemque appetitus sensitivus objectum delectabile. De specie impressa posset dubitari; potest enim illi assignari hoc predicatum proprium, Esse completum ex parte objecti per ordinem ad ponendam notitiam. Et sicut tribuitur Deo ratio substantiae completæ, nec tamen supponit ullam incompletionem indignam Deo; sic & in presenti.

QVÆSTIO II.

De Objecto scientiæ divinæ in communi.

Objectum scientiæ divinæ est duplex; unum increatum, aliud creatum. De utroque hic agendum est.

DIFFICULTAS I.

De Objecto scientiæ divinæ increato.

PRÆMITTO I. *Non esse difficultatem in hoc, quod Deus cognoscat seipsum:* Quia alias non esset omniscius; nec foret beatus: Quia non haberet contemplationem summi boni, hoc est, sui. Denique, quia est impossibile noscere aliud, & non posse ex hac notitia devenire in notitiam sui ipsius, quod ipsum probatur: Quia vel noscit illa alia non esse ipsum, quod noscens est; vel noscit, esse ipsum, quod noscens est: si hoc secundum, ergo noscit seipsum; si primum, ergo adhuc noscit seipsum; qui enim dicit: Hoc quod nosco non est ego, si nescit quid sit ego?

PRÆMITTO I. *Neque in hoc esse difficultatem, quod Deus noscat suam essentiam in illa ipsa immediate:* Ratio quia est ita cognoscibilis, perfectissimoque intellectivo debet assignari perfectissimum intelligibile immediatum; hoc autem non est aliud, quam essentia; Attributa autem quæ talia, & prout cogitantur à nobis tanquam conceptus secundarii, non sunt ex modo concipiendi primum objectum, idemque dicendum de personis; quia hanc excellentiam infinitatis non habent, nisi ex identificatione cum natura. Addunt aliqui divinam essentiam esse objectum primum primum, & participatum; jam autem attributa & personalitates sunt objectum primum participans.

PRÆMITTO 3. *Non esse etiam in hoc tantam difficultatem; An Deus cognoscat sua attributa in sua essentia, tanquam in medio virtuali, idque, quasi à priori:* Quia essentia ex modo nostro concipiendi in re fundato, est principium attributorum, adeoque respectu illorum habere potest rationem prioris. Ex attributis etiam à posteriori potest nosci essentia; Attributa enim ex eo ipso, quod attributa sunt, petunt cointelligi essentiam, cui attribuuntur.

DICES. Deus cognoscit se in se, ergo non cognoscit se in alio; hæc enim tollunt se.

RESPONDETUR, hæc duo tollere se in hoc sensu; quia scilicet formalitas & definibilitas huius cognitionis, non potest esse formalitas & definitio alius. Sed non tollunt se quali se cum in unam realem notitiam, complectentem æquivalenter reliquas notitias perfectas, confluere non possint. His quæ faciliora sunt præmissis.

DICENDUM I. *Deum cognoscere se in creaturis tanquam in medio connexo.* Ita docet Herize, Franc. de Lugo, de Ribaz, & Arriaga. Nominis cognitionis in alio, venit cognitio unius propter connexionem cum alio, ita ut unum in recto noscatur, aliud in obliquo.

PROBATUR I. Noscit Deus hanc propositionem: Creatura est essentialiter dependens à me; ergo noscit se in creatura: Noscit enim se ex connexionem creaturæ secum, attingendo creaturam in recto, seipsum in obliquo, quod est, noscere in creaturis seipsum.

PROBATUR 2. Impossibile est noscere relativum transcendente, & non noscere terminum relationis: quia etiam impossibile est noscere relationem ut sic sine termino; sed creatura dicit ordinem transcendentem ad Deum, ut suppono ex Physica, ergo impossibile est illam nosci, & non nosci Deum; sed tunc noscetur Deus in obliquo: quia noscetur tanquam illud aliud, ad quod est Ad, seu Relatio, & creaturam noscet tanquam id quod dicit relationem; ergo ut dictum est, cognoscetur tunc Deus in creatura.

Neque dicas, hoc tantum tunc fieri posse, quando non supponitur objectum aliunde cognitum, supponitur autem Deus cognoscere se in se, non inquam valet, si id dicas; quia huius ipsius queritur ratio. Deinde quando aliquis cognovit Petrum, potest dicere transacta cognitione; Ego novi Petrum, alias dicens non diceret quod dicit; Dicit enim se novisse Petrum, & tamen non potest dicere, ut tu vis, Ego novi Petrum. Quod si id potest dicere; vel noscit, cuius illa sit cognitio, vel non noscit; si non noscit, ergo non potest dicere, se cognovisse Petrum; si autem noscit; ergo noscit id quod antea præcognovit. Cur ergo & Deus non noscet objectum, aliud jam cognitum.

PRO-

PROBATUR 3. ex Arriaga. Non potest Deus cognoscere discrimen inter odium suae Majestatis, & odium peccati, nisi quia cognoscit illud habere pro objecto Deum, hoc verò peccatum; ergo se Deus potest noscere in creaturis: quia in actibus creatis. *Ad solvendas Objectiones*

NOTO, hanc notitiam fore intuitivam; nam etiam in alio tanquam medio potest se Deus noscere, non per modum alius, nunc secundum rationem illius medii; & quamvis illud medium non repraesentaret Deum adæquatè, adhuc illam ipsam quæ repraesentatur ab illo medio in adæquatam rationem Deitatis, potest Deus intuitivè noscere. Quando autem infertur pariter ponendam esse in Deo simplicem apprehensionem, posset fortasse concedi illatum; quia seculis imperfectionibus manet proprius conceptus simplicis apprehensionis, nempe notitia objecti, nec compositiva, nec illativa; & tamen certa: qui enim negari poterit Deum res definitivè noscere? cum tamen definitio sit simplex apprehensio.

ADDO. Bene posse dici, quòd etiam in notitia probabilis respiciente Deum possit se noscere Deus: quia etiam hæc notitia taliter versans circa Deum, dicit connexionem cum Deo: Sed inde non sequitur, quòd noscat se tunc Deus probabiliter, licet videat ex medio probabilis non posse sui nisi probabilem notitiam haberi: quia etiam scientia potest demonstrare, quòd ex medio probabilis non sequatur nisi probabilis notitia; & tamen hoc illa scientia, non probabiliter, sed demonstrativè attinget. Et sicut scientia, aliud tunc motivum assumit, advertit tamen ad connexionem motivi probabilis, cum objecto; ita & Deus advertit ad connexionem cum illius notitiæ probabilis circa se versantis; licet habeat altiores rationes sui de se.

DICENDUM 2. Etiam Deum se nosse ex creatura. Est conclusio quam docet Ribas, d. 3. c. 4. Martinon d. 10. f. 1. & 4. Num. 21. Sed negat Arriaga d. 18. Num. 39. Nomine autem cognitionis Dei ex creaturis venit cognitio, quæ in ipso Deum respicit, creaturam accipiendo pro medio noscendi.

PROBATUR 1. Quia talis notitia nec de se implicat; aliàs etiam creatura ex se notitiam de Deo habere non posset, nec formare demonstrationem de eodem à posteriori. Deinde talis notitia nullam imperfectionem importat, ut infra videbimus; ergo de facto debet in Deo posui, qui omni perfecto modo, res noscit.

PROBATUR 2. Cognoscit Deus ex se creaturas; ergo etiam se ex creaturis.

RESPONDET Arriaga, neg. Conf. disputamur, quia Deus non cognoverat creaturas in seipsis, sed in sua omnipotentia; unde postea oriri debuit cognitio, secundum quam,

illas, in seipsis immediatè & comprehensivè nosceret.

CONTRA est. Tum quia etiam certo sensu prius intelligibilitate quàm noscat creaturas Deus in omnipotentia, noscit illas in seipsis; habent enim in seipsis pro statu essentiae intelligibilitatem priorem; cum non ideò sint possibiles; quia Deus illas potest producere; sed ideò potest producere; quia possibiles sunt, prius, ratione nostra. Tum quia sicut potest ejusdem objecti creati dari diversa scientia ratione nostra, idque ratione diversi modi noscendi vel potius statui; ergo etiam & Deus diversas de se poterit notitias habere, adeoque & hanc, cum nihil obstat.

PROBATUR 3. per Arriaga. Cognitio Dei in creaturis imperfectè repraesentat Deum, & tamen non repugnat Deo; ergo nec repugnat cognitio Dei ex creaturis.

RESPONDET. Disparitatem esse, quia cognitio Dei in creaturis perfectissimè suum objectum primum cognoscit, nempe creaturas; & in illo medio non potest Deus perfectius cognosci; ideò illa cognitio, nullam in Deo cognoscente, imperfectionem involvit: at cognitio de Deo ex creaturis, licet quasi oriretur ex cognitione perfecta creaturarum; tamen haberet pro objecto primum Deum, quem non perfectè attingeret.

CONTRA est. Tum quia nulla est ratio, cur non possit objectum primum imperfectè imperfectione negativa nosci? Tum quia noscit se Deus in creaturis perfectè, quia nosci in illis perfectius non potest; ergo & ex creaturis noscet se perfectè, quia ex illis perfectius nosci non potest. Tum quia hoc quod assumit, nempe illa notitia est perfecta, quæ ex illo medio, perfectior esse non potest, quod inquam assumit, indiget restrictione; aliàs posset Deus habere probabilem etiam notitiam de se; quia ex illo medio, perfectior notitia, haberi non potest. Denique cum in notitia ex creaturis habeat se ita Deus, sicut subjectum conclusionis, ægrè persuaderi posset, quòd illud objectum sit magis primum præ præmissis; nam præmissæ habent rationem potioris considerabilitatis, utpote magis certæ & evidentes. *Ad solvendas Objectiones*

NOTO. Illam notitiam fore negativè imperfectam, hoc est, non tam perfectam formaliter, ut notitiam Dei in se; non fore tamen positivè imperfectam; quia nulla in illa potest positiva imperfectio ostendi. Porro bene admitti possunt in Deo notitiæ imperfectæ negativè, talis est notitia in creaturis, notitia æquivalenter præscindens, notitia creaturarum in omni scientia &c.

Quando autem affert illud principium; quia omnis cognitio, quæ suum objectum formale non noscit adæquatè, est positivè imperfecta,

R. P.
H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tłm. de Z.
D. VI
5

hoc principium procedit eo casu, quo scilicet ex vi medii, quod est noscendi ratio, posset cognosci adæquate objectum; & tamen non cognosceretur; vel casu, quo sub nulla alia formalitate, posset nosci adæquate objectum: præsumeretur enim tunc defectus ille venire, ex imbecillitate ingenii noscentis. Et sicut quando Deus non noscit se adæquate in creaturis, hæc omnia referri debent in medii defectibilitatem; ita & hîc. Quando autem Arriaga ex eo, quod illud medium sit extrinsecum cognitioni, infer: Quod non possit adimere imperfectionem intrinsecam illi cognitioni, arguit à non probato; non probavit enim in illa notitia involvi imperfectionem positivam.

Non erit autem illa cognitio otiosa in Deo; quia ne sit aliqua cognitio otiosa, in Deo; non debet arguere aliquod novum objectum cognitum; aliàs non posset se Deus in creaturis, & in se cognoscere; sed sufficit, alietas ratione modi, vel statûs. Hæc autem alietas habebitur, si se Deus etiam ex creaturis noscat.

Per hoc tamen non inferetur dari in Deo etiam notitiam probabilem; quia fallibilitas est imperfectio necessariò innexa iudicio probabili quâ tali; jam autem nulla potest ostendi positiva imperfectio, innexa essentialiter prædictæ notitiæ.

S. Thomas qui citatur in oppositum hîc: q. 14. a. 6. ad 2. non plus vult, quam quod adæquate non possit nosci Deus, si ad illum noscendum medium assumatur, quod sit creatura.

DIFFICULTAS II.

*De Objecto scientiæ divinæ
creato.*

CERTUM est quod Deus noscat omnia, teste Script. præcipue ad Hebr. 4. & aliis locis, & ipsa ratio id deposcit, aliàs non esset omniscius, neque Deus. Neq; valet si dicas, Deum non esse necessitatum ad habendum amorem efficacem omnium creaturarum, consequenter neque ad notitiam earundem perfectam: disparitas enim est; quia intellectus ex una parte est potentia necessaria, consequenter noscitiva quantum potest: Ex alia parte, si non esset in Deo noscitiva omnium, non esset divina: jam autem voluntas est potentia libera circa bonum quod non sit summum, vel bonum ut sic, consequenter non adstricta, ad amandum singula, efficaciter. Restant tamen aliqua specialius inquirenda. 1. An creaturæ possint videri à Deo in illismet ipsis? Negat Suar. & Mol. cum Thomist. Affirmat post alios Arriaga d. 19. f. 4. & Mart. d. 10. f. 2. secuti Vasq. & Nominales.

DICENDUM est. Deum cognoscere creaturas in illismet ipsis immediate.

PROBATUR Fundamento desumpto ex Metaphysica de propositionibus æternæ veritatis: Non ideo creaturæ sunt possibiles; quia illas noscit omniscientia, potest producere omnipotentia, sed potius ideo noscit omniscientia, potest producere omnipotentia, quia sunt possibiles; Ergo per prius habent in se possibilitatem absolutam; ergo & intelligibilitatem: quo posito sic urgetur. Vel attingit Deus illam intelligibilitatem ratione nostra priorem, vel non attingit: Si non attingit, ergo omniscius non est, nec cognoscit res secundum quod indigent cognosci: Si autem attingit: Ergo illas attingit in illismet ipsis propter rationem assignatam.

CONFIRMATUR. Falsa est hæc universalis negativa. Nullam creaturam potest Deus noscere in illamet ipsa; Ergo hæc erit vera, omnem creaturam potest noscere in illamet ipsa; quod ipsum probatur; quia hæc duæ propositiones habent se ita sicut hæc duæ: Nullus homo est animal rationale; Omnis homo est animal rationale; Quod ulterius in hoc fundatur: Quia in materia necessaria si universalis negativa sit falsa, universalis affirmativa erit vera; Est autem necessarium Deum habere vim noscendi creaturas, si sint in illismet ipsis noscibiles. Quod autem illa negativa sit falsa probatur: Quia particularis illius affirmativa in principiis nostrorum est vera, nempe quod conditionati effectus liberi in illismet ipsis, seu in suppositione eorum ad se ipsos noscantur. *Ad solvendas Objectiones*

NOTO 1. Quod S. Thom. agnovit varios modos quibus noscit Deus creaturas; hinc non erit licitum arguere à positione unius modi, ad negationem alius modi; quod autem eum modum de quo hîc, agnovit, vide hîc q. 14. a. 13. in corpore. Citatur etiam in oppositum S. Aug. ex lib. 83. quæstionum. q. 46. sed illo loco non plus vult, quam quod Deus condiderit mundum ex æterna sua idea, nec aliâ externâ indiguerit. Rursus, non sequetur exinde verbum divinum esse verbum creaturarum, sicut nec sequetur, dum per oppositos, noscuntur in divina essentia. Et certè ad hoc, ut dicatur aliquid esse verbum huius, debet illud respectu ejusdem habere formalitatem dicentis; jam autem creaturæ non habent formalitatem dicentis verbum; quia nec producentis.

NOTO 2. Quod sicut respectu creaturarum in ipso Deo noscibilium, habet vim speciei essentia divina; nec tamen illa species causatur à creaturis; ita nec in præsentia causabitur, præcipue cum etiam concreatæ species in angelis non causentur ab objectis; Quod autem exigant objecta, ut ea quæ vices specierum habent, non nisi ita vel ita representent eadem, hoc non erit causari speciem.

Quam-